Reverendo viro et eruditione et virtute praestanti D. Iusto Ionae Doctori Theologiae, Ecclesiae Dei in Saxonis ἐπισκόπῳ Amico suo charissimo: S. D.

Sensu ipso comperi, mortem mihi faciliorem fore quam comprobationem libri Augustani, nec muto consilium, A multis interrogati sumus, Quibus una et eadem voce respondemus omnes, Debere pastores suam deliberationem seiungere a politicorum virorum deliberatione, ac debere ipsos pastores, ut quos doctrinae custodes esse oportet, plane, perspicue, καὶ ὁριστικῶς respondere: Se non assentiri libro Augustano. Continet enim multos errores. In loco de Iustitia fidei manifesta corruptela est, deinde in ceteris. Quid necesse sit damnare in scripto, quod extat, ostendimus. Et mea lenitas a multis reprehenditur, Sed Deo adiuvante in hac sententia mansurus sum, Non ero approbator libri Augustani. Et iudico omnes qui doctrinam Ecclesiae veram intelligunt, debere suo loco ostendere suam confessionem, et testari se non approbare corruptelas, quae ibi continentur. Sophisma nostri amici D. Melchioris non medetur tantae rei, ipse de uno articulo loquitur, ceteros relinquit, et tamen minime ludendum est, in eo ipso articulo περὶ δικαιοσύνης ambiguitate. Scio enim quam facile vulnerentur conscientiae. Totum igitur illud Sophisma reiicies, et hanc meam epistolam ei ostendi patiar, Bene ac feliciter vale die IX Septembris 1548.

Phili: Melanch: